(21)

1867. VII.
MEDIC. IX.

DE
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS, IMPRIMIS DE FEBRI INTERMITTENTE QUARTANA PHOSPHORI OPE SANANDA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

AD SUMMOS IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HINRICUS ALEXANDER FRIDERICUS GUILLIELMUS WALDOW.

GUSTROVIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLXVII.

Imprimatur:

Litzmann,
p. d. Dec.

PATRI, OPTIMO CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT.

AUCTOR.

Historia.

De morbis, qui dicuntur Malariae, imprimis de febribus intermittentibus antiquissimi medicinae auctores scripserunt; jam Celsus typi quotidiani, tertiani, quartani, hemitritaei scientiam habuit. Accuratius quidem in morbi ejus studio versati sunt, quum Chinae regiae corticem contra febrem intermittentem remedium esse experientia comprobatum esset. Lienis in febri intermittente mutationes jam a prioribus scriptoribus observatae sunt; ad topicam morbi naturam et ad constans lienis incrementum, quod febris causam esse censuit, animum primus advertit Audouard. Recentioris aetatis scriptores non solum in morborum, qui dicuntur Malaria, causis, sede et loco, sed etiam in eorum therapia funditus occupati sunt; maximi autem momenti observationes thermometri ope factae sunt.

Aetiologia.

Morbi, quos descripturi sumus, eadem causa creantur, quam Miasma palustre vel Malariam dicunt, quod quamvis penitus non notum sit tamen non eodem modo quo Variolae, Morbillorum, Typhi virum in corpore infecto denuo generari neque ab aegroto homine ad sanum transferri scimus. Ita non accidit, ut febres intermittentes a salubribus locis ad eos auferantur, in quibus antea numquam evenerant. Qua de re febres intermittentes non morbi contagiosi aut miasmatici-contagiosi sed morbi miasmatici dicuntur.

Atque Malariae virus virentium putredine producitur plurimaeque regiones, in quibus morbi illi inveniuntur, palustres sunt aut humidam locorum naturam habent. Quo diffusiores et frequentiores paludes eae sunt, eo crebiores gravioresque morbi. Summo valetudinis incommodo sunt paludes in planis regionibus, quarum fundus impervius et argillosus est; paludes, quae minime profundae sunt, ab aqua marina aluntur, dubia aquae copia excellunt, cum virentibus putrescentibus impletae neque plane exsiccatae sunt. Deinde morbi illi nascuntur in locis demissis, quae inundata et limo obducta sunt, in solo aqua subterranea madefacto, in fossis aquariis putrescentibus, in cellariis humidis, si necessarius calor adsit. Summum delectationis habent quae Pettenhofer expertus est, morbos illos frequentissime oriri in iis locis, in quibus aqua subterranea augescit.

In regionibus illis, quos descripsimus, commoratio prope paludes ipsas, praesertim si in terrae solo dormis, prope arbores fruticesque et plano loco summo detrimento est. Neque non solum paludum halitus, sed etiam aquae palustris potus maxime noxius esse videtur. Exempli causa in navibus, quae aquam ex locis palustribus hauserant, febres intermittentes ortae sunt.

Venti spiritu et perflatu morbi causa vel in remota loca sana importari potest. Anni tempus non minus in iis regionibus quae a gravibus quam in iis quae a levibus acutisque febrium intermittentium formis tentantur, magnam ad earum ortum vim habet. Ita nostris regionibus febres intermittentes certis anni temporibus longe frequentissime accidunt inter Februarium et Septembrem, potissimum mensibus Aprili, Majo atque Junio. Neque minoris momenti ad singulos morbos sunt diei tempus et quotidianae coeli mutationes. Nam ineunte vere si imbres violenter fusos longae siccitates sequuntur, morbi frequentiores sunt et vespertinis temporibus viri illius quod Malariam vocant vis gravior esse videtur. Restat denique ut singulos annos febrium intermittentium frequentia et vehementia longe discrepare commemoremus.

Quaevis aetas febribus intermittentibus obnoxia est; frequentissime quidem eae primis adultae aetatis annis accedunt. Singulae febrium species pro aetate inter se differunt, nam febris intermittens regularis raro puerili aetate et post aetatem quinquagesimam oritur. In sexu virili, qui morbi causis maxime exponitur, frequentiores sunt quam in sexu muliebri. Febribus intermittentibus maxime ii corripiuntur, qui bona valetudine utuntur. Sed effusae contentiones aliaeque vires, quae corporis nervos fragunt, in certo vivendi modo ac lege peccata, perfrictiones opportunitatem tantum augent, ut multi, qui diu impune Malariam subierunt, tum primum febri intermittente afficiantur, quum vires noxiae, quas supra commemoravimus, in eos ingruerint. Inter momenta, quibus ad febrem intermittentem opportunitas augetur, morbi illius perfunctio semel aut iterum facta maxime conspicua est. Corpus ad virum accommodare intelliges, si multos, qui ei perdiu expositi erant, non febri intermittente, sed cachexia febri carente et cum lienis intumescentia conjuncta affici cognoveris.

Quum quae mortem afferant, plane ignota sint, ne rationem quidem, qua virus ille efficax fiat, perspici exspectare debes.

Pathologia.

A. Malariae viro constitutionis multorumque organorum vitia oriri solent.

AA. Constitutionis vitia.

1. Febris.

Morbi illi semper fere cum febri conjuncti sunt, quae quidem optime purissimeque in febribus intermittentibus regularibus, recentibus levibusque in locis temperatioribus deformata est Cujus febris propriae notae sunt Intermissio, Paroxysmorum rhythmus et febri accedente rapidus altorum caloris graduum ortus nec minus subita

defervescentia, ut inter paroxysmos, a quibus febris incipit, temporis spatium intercedat, quod febri caret. Nec saepe fit ut notae illae plane obscurentur febri subcontinua et febri subintrante, speciebus illis, in quibus recens paroxysmus oritur, priusquam antecedens finitus est. Neque raro intermissio evanescere videtur in febri pseudocontinua, quae cum gravi morbo cerebrique symptomatibus conjuncta quamvis continuae febris speciem prae se ferat, tamen aliter longe sese habet, id quod thermometri ope facile demonstrari potest. Denique accidit, ut apyrexia non pura sit, caloris auctu uno supra legem gradu tenente, febris remittens. Restat ut paroxysmorum et intermissionum rhythmum multas varietates praebere commemoremus.

Atque constantis febris intermittentis paroxysmi per octo ad decem horas durant et secundis diebus recidunt vel ut accuratius dicam, quadragesima sexta vel quadragesima octava quoque hora (Rhythmus tertianus). Cujus typi varietates saepe multis externis momentis, aetate corporisque constitutione, complicationibus et diutino morbo motae sunt. Ita non raro fit, ut paroxysmus singulis diebus eadem hora redeat, febris quotidianus. Rariores quam febres quotidianae, sunt febres quartanae, quae quidem quartis diebus interjectis, septuaginta duo horis accedunt, febres, quintanae, sextanae etc., in quibus paroxysmus quintis aut sextis diebus redit, aut denique febres, ubi singulorum stadiorum intervalla majora sunt.

Interdum fit, ut singulis diebus duae febris accessiones observentur, febris quotidiana duplicata, aut primis diebus duae, secundis diebus nullae, tertiis duae etc., febris tertiana duplicata. Neque raro febris singulis diebus, sed diversis horis accedit, ut primis, tertiis, quintis neque minus secundis, quartis, sextis, octavis diebus febris accessiones eadem hora appareant aut ut primis, tertiis, quintis diebus majorem gravitatem praebeant quam secundis, quartis, aliis diebus, febris tertiana duplex. Deinde primis diebus duae accessiones, secundis una observari potest, tertiana duplex duplicata, aut primis diebus duae, secundis et tertiis nulla, quartis duae, Quartana duplicata, aut primis una, secundis una, tertiis nulla, quartis et quintis una, sextis nulla, Quartana duplex etc.

Saepe fit ut febres paucis horis anteponant aut postponant.

Plerumque febris nascitur a sensu alicujus quasi frigoris; mox aegroti per dimidiam aut totam horam vehementer frigore jactantur; sequitur calor mordax et sudor. Pluribus jam horis antequam aegroti frigore tentantur, corporis calor paullatim nonnullis decimis gradus partibus augetur. Plerumque postquam calor ad 30,5—31° R. auctus est, frigor incipit. Dum frigus durat, calor in remotis corporis partibus ad 22° fere et plures gradus decrescit; sed in trunco augetur, minus celeriter quidem quam ante frigus, horae dimidio 1—$1\frac{1}{2}$° R. Calore in trunco ad 31,5° aucto, perpetuo accrescens is et in faciem et extremitates diffunditur. Nunc caloris sensus incipit. Per id stadium calor ad 32,5—33° accrescit, altius, mox celeriter mox lente, et summus fit, tum singulis gradus partibus decrescit, iterum augetur, dum summus fit,

et nunc plerumque, saepe si calor decrescere incipit, sudor erumpit. Dum aegroti sudant, calor decrescit eoque ad 31—30,5 ° decreto sudor finem habet. Plures horas post sudoris intermissionem calor ad normam rediit et ad 29 ° et amplius decrescit neque prius augetur quam dies febri carens adest aut novus paroxysmus oritur aut valetudo plane restituta est.

Arteriarum pulsus frequentia varia est neque tamen paroxysmi vehementiae respondet. Per frigus arteria saepe tactu dura est; per calorem pulsus plenus fortisque, saepe dicrotus per sudorem minus plenus tactuque mollior fit et paullatim ad normam redit.

Satis constanter cum febris paroxysmo conjuncta est invalida valetudo, vehementes capitis dolores, tremor horrorque, saepius per frigus vomitus, aurium sonitus, vertigo, exaltatio nervosa cerebrique commotiunculae per calorem, magna sitis per totam febris accessionem, deinde Neuralgiae aliaque nervorum vitia, Hyperaemiae et Exsudationes, lienis tumores oriri solent.

Urina per frigus pallido, per calorem saturato et subrubro colore est, per sudorem et post eum sales uricos deponit. Chloreta normalia aut minime minuta sunt. Quaecunque tamen de urinae in febribus intermittentibus partibus scimus, imperfecta sunt.

Multae denique in paroxysmorum decursu varietates observari possunt. Interdum enim adest frigus neque calor, saepius frigore deficiente calor et sudor aut solus sudor, deinde sensus tantum alicujus quasi frigoris. Neque raro inter frigus et calorem aut inter calorem et sudorem plurium horarum spatium intercedit, ut proxima stadia secundo demum die insequantur. (Febris dissecta.) Denique stadiorum ordo plane inversus est, ut sudorem frigus et calor sequantur. (Febris inversa.)

2. Cachexia.

Cachexia constitutionis morbus est, qui quum continua viri illius vi tum intestinorum degeneratione creatur et qui anaemiam multorumque organorum vitia, oedemata, membranarum serosarum pituitariarumque, musculorum, nervorum morbos adducit.

B B. Singulorum organorum morbi.

Singulorum organorum morbos nunc exponere liceat, Neuroses, saepissime Neuralgias, Hypercineses, Hyperaemias, Organa pigmento referta, Exsudationes acutas, Extravasata, alias mutationes. Ac primum cerebrum et medulla spinalis interdum nullas, saepe maximas anomalias praebent, tunicarum medullaeque hyperaemiam, leves exsudationes serosas, cruentas serosasque et gelatinosas. E nervis saepissime Trigeminus Neuralgia afficitur. Oculi bulbus et conjunctiva hyperaemia et inflammatione corripiuntur; coryza morbo ineunte invenitur; Epistaxis, Bronchitides et Laryngitides frequentes sunt. Pulmonum hyperaemiae, Pneumoniae et Pleuritides rarae sunt.

Tractus intestinalis affici solet; plerumque levis ventriculi catarrhus, obstructio aut diarrhoea, interdum Haematemesis, Enteritis, gravissima Cholerae symptomata, Dysenteria, intestinorum ulcerationes ipsae observantur.

In liene, qui constanter, dum febris accedit, et in frigoris et in caloris stadio intumescere solet, interjectis aliquot tentationibus nondum perpetuae anomaliae inveniuntur, sed ut primum febris desinit, lienis intumescentia decedit, quae ex hyperaemia sola pendere videtur. Sed postquam febris per tres hebdomades continuavit, lienis tumores reperiri dicuntur, qui usque ad alam fere pertinent costarumque marginem pluribus digitis transversis superant. Quo frequentiores febris accessiones sunt, eo magis oritur constans lienis anomalia et vulgaris hypertrophia quidem aut lienis trabecularum tela fibro-cellularis ita augetur, ut trabeculae minutas maculas reliquum faciant, renarum sinuum lumina tenuissima fiant, lienis ipsius tela sanguine egentissima, solida, pallida videatur (hypertrophia cum degeneratione fibroidea). Restat denique, ut degenerationem lienis amyloideam reperiri commemoremus.

Renes raro mutari solent; si per febris accessionem aegroti subita morte pereunt, renes plerumque hyperaemici sunt, intrante cachexia interdum amyloide degenerati aut exsudatis et parvis extravasatis referti sunt. Peritoneum saepe exsudatorum chronicorum serosorum, cruentorum serosorumque et plasticorum serosorumque sedes est.

In labris, naribus, aliis faciei partibus, in lingua, palato, rarius in trunco et extremitatibus frequentissime Herpes et aliae pustularum formae observari possunt. In sanguine, si febris per longum tempus continuavit, Albumen rubraque sanguinis corpuscula minuuntur.

Restat ut de melanaemia loquar in hepate, liene renibus, aliis corporis partibus hominum miasmatibus palustribus affectorum, gravibusque aut intermittentibus, aut remittentibus, aut continuis febribus defunctorum saepius commutationes certae quaedam reperiuntur.

Ac hepar quidem cano, subnigro, interdum cacaotico colore imbutum est. Quae coloris mutationes efficiuntur materia pigmenti in hepatis vasibus accumulata. In vasibus capillaribus venae portarum venarumque hepaticarum, nec non in ramificationibus earum majoribus pigmenti copiae coacervatae sunt, aut pari modo dispartitae, aut inique divisae. Non modo apparatus vasorum venosus, sed etiam artoriosus, una mutantur, quum in ramificationibus arteriae hepaticae copiae non contemnendae pigmenti nigri reperiantur. Secundum Frerichs ipsae hepatis cellulae morbo non corripiuntur, contra Virchow in iisdem pigmentum invenisse perhibet. Cellae enim hepaticae aut omnino immutatae, aut impletae sunt subfusca quadam materia biliaria. Nec raro infiltrationes adiposae animadvertebantur, rarius insunt materiae colloidicae lardosaeque. Primo morbi stadio hepar extravasatis haemorrhagiisque refertum hypertrophiam et hyperaemiam, sequenti stadio saepe atrophiam praebet.

Anomaliae lienis haece: Fuscum praebet lien sicut hepar colorem, interdum coeruleum migricantem. Una in parenchymate illius magnae pigmenti copiae inveniuntur. Porro in acuto morbi decursu lien emollitus, hyperaemicus nimiumque dilatatus est, in decursu magis chronic ocommutationes voluminis minus insignes plerumque se praebent. Similes per analogiam commutationes in glandulis lymphaticis animadvertendae sunt. De quo diximus pigmentum nigrum in hepate ac liene plurime reperitur.

Alia quoque corporis organa huiusce modi commutationibus subjecta sunt, quum pigmentum, si quidem majores ejus materiae copiae in sanguinem venerint, ad ea adducatur.

In vasibus pulmonum capillaribus crebro gravis pigmenti copiae reperiuntur. Verum etiam substantia cerebri corticalis cacaoticum sive plumbaginosum bibit colorem, quum substantia medullaris nisi pigmenti copiae sunt gravissimae, unde canum capit colorem, non afficiatur.

Capillaria vasa, quum microscopio perlustrentur referta granis glebisque nigricantibus apparent, simul insunt pallida coagula eademque pellucida.

Renes quoque pigmenti minime sunt expertes, quorum substantia corticalis canis signata punctis apparet. Si microscopio utare vasa corticis capillaria renum, praecipue glomerula pigmento repleta videri licet In tubulis quoque renum uriniferis pigmenti particulae dispersim reperiuntur.

Cutem, membranas mucosas, musculos non saepe pigmento commutata invenies. Qui uno verbo dicam: Ubique pigmentum reperitur, quo sanguis pervenire potest, eoque magis (omissis, quae supra commemoravi, abdominis organis), quo angustiora capillaria partium vasa, quippe in quibus glebae facillime retineantur. Age, de pigmento accuratius paullo loquamur. Pigmenti grana formam ostendunt, rotundam vel angulosam, quorum plerumque nonnulla pallida quadam substantia conjuncta atque collocata sunt. Praeterea, quamvis perraro, verae pigmenti cellulae cernuntur, partim cylindriformes, partim globosae, nucleum quae continent rotundum. Exstant etiam majora pigmenti substantiae conglomerata, altera alterorum formis non respondentia. Colorem praebet pigmentum plerumque nigrum, rarius fuscum vel flavum, interdum e rubro flavescentem. Coagula, de quibus supra dixi, colorem omnino non habent. Corpuscula, quae insunt in sanguine rubra non mutantur, alborum nonnunquam auctus numerus corpusculorum. — Hae sunt in hominibus melanaemicis commutationes ad hoc temporis observatae.

Unde nascitur pigmentum principium et origo lien est; nonnumquam una cum liene alia ut videtur organa imprimis hepar commemoranda.

B. Febrium intermittentium species symptomatologia et decursus.

Discernere debes:

1) vulgarem febrem intermittentem
2) species anomalas et quidem
   a) febres intermittentes perniciosas
   b) febres intermittentes larvatas
   c) febres remittentes
   d) cachexiam chronicam.

1. Vulgaris febris intermittens.

Prius quam vulgaris febris intermittens manifesta facta sit, saepe stadium observatur, quo morbi illius propriae notae parum acres sunt et diagnosis incerta est. Plerumque per nonnullos dies praenuntia apparent, quae, quum saepe levia saepe graviora sint, minus commodae valetudinis conscientia significantur, membrorum debilitudine, angore in scrobiculo cordis, vertigine, insomniis, alicuius quasi frigoris sensu, vagis in diversis partibus doloribus, imprimis in Nervi Quinti regionibus, singulari ad manus et crura porrigenda et ad oscitandum inclinatione, sordida lingua ciborumque taedio. Gravior ipse morbus a vehemente frigore incipit, quod calor et sudor subsequuntur. In plerisque rhythmus tertianus vel tertianus anteponens est, saepe tamen inaequalis vel quotidianus; apyrexia plerumque nondum pura est. Sed interjectis aliquot diebus paroxymi constantes fiunt, ut, post sudorem febris plane finem capiat aegrotique eo tempore bene valeant. Recens febris accessio evidentius a frigore incipit. Eo tempore plerumque herpes labialis cernitur. Paroxysmis alternantibus cum intermissionibus febris saepe per longum tempus protrahitur; singulae febris accessiones statuta hora apparent. Interjecto tamen tempore minores vel majores in paroxysmorum forma et spatio mutationes observantur aut alius rhythmus invadit, ut ex Tertiana fiat Quotidiana aut Quartana; Apyrexiae denique minus clarae sunt, ut ex febri intermittente fiat febris irregularis remittens aut cachexia. Si aptis usus es remediis, febris finem capit; saepe tamen id nullo adhibito remedio fit, si locum mutavis aut si hieme veniente tempestas alia facta est; nonnumquam febris sponte finitur. Subito non se effert nova febris accessio aut eae leviores fiunt. Plerumque per longum tempus remanet corporis inclinatio ad horrendum, sudandum, calendum neque raro fit ut febris recidat.

2) Anomalae febrium intermittentium species. Anomalae febrium intermittentium species quum bono tum gravi periculosoque exitu notabilia sunt.

a) Febres intermittentes perniciosae.

Febres intermittentes perniciosae eae species nominantur, quae mortem subitam celeremque interdum jam prima vel secunda febris tentatione afferunt. Singula primi

vel secundi paroxysmi symptomata varo summum periculum, quod exspectare debes, praebent. Finita febris accessione deest saepe completa apyrexia, et febris tentationem subsequitur alia aut ingens collapsus. Insequentes tamen accessiones gravissima symptomata praebent; nam febris fit continua morbumque typho simillimum esse intelliges, si deliria et convulsiones, quas summus sopor sequitur, accidere, deinde acuti pulmonum oedematis cordisque paralysis nota exterioribus corporis partibus frigescentibus, linguam siccam fieri cognovisti ut celerrime exitus letalis adducatur. Aegrotos e morbo recreari rarissimum est; saepe gravia mala remanent; plerumque fit, ut aegroti moriantur.

b. Febres intermittentes larvatae.

Non raro Malariae viro febris paroxysmi loco Neuralgiam oriri ejusque Neuralgiae impetus constantibus intermissionibus, quae febris intermittentis apyrexiis adaequantur, inter se discerni observari potest. Atque eae neuralgiae intermittentes, quae potissimum febres larvatae dicuntur, saepissime pertinent ad nervum superaorbitalem, rarius ad ceteros Nervi Trigemini vel aliorum nervorum ramos. Impetus ipsos plerumque cum febri levi, quae quidem thermometri ope demonstrari potest, conjunctos esse experimentis probatum est. Nonnumquam vel alia ratione nervi cerebro-spinales et vasamotorii incitari videntur, ut Anaesthesiae intermittentes, Paralyses, Convulsiones, Morbi psychici, Hyperaemiae nonnullorumque organorum Oedemata oriantur.

c. Febres remittentes.

Febres remittentes eae species nominantur, quae quidem Malariae viro ortae completam apyrexiam non praebent. In calidis potissimum terris inter morbos acutos praevalent. Saepe febres remittentes sese habent ut status gastrice-biliosus, qui auctore Griesinger plerumque cum vehemente febri incipiens lienis intumescentia, ictero levi, anomalis a bile liberis sedibus, herpete labiale, capitis doloribus, aurium sonitu et vertigine conspicuus est ut febrem esse typhosam putes. Qua de causa maximi momenti est, febres remittentes plerumque semel aut compluries die exacerbescere. Fere semper intra septem usque ad viginti unam diem morbus finem habet. Gravibus vero febribus remittentibus ab ultimo initio status typhosus praevalet cum febri adynamica, summa debilitate, prostratione et coma.

d. cachesia.

Si febres intermittentes et remittentes gravissimae perdiu duraverunt aut saepius redierunt aut neglectae neque funditus sanatae sunt, cachexia oritur, quae quidem vel in eorum locorum incolis, in quibus febres intermittentes endemicae sunt, nascitur, quamvis paroxysmi non affluerint.

Plerumque lien, saepius hepar augetur aut hypertrophia aut induratione aut degeneratione amyloidea. Hepar quinquies tantum, lien sedecies tantum quam quantum solet crescit. Eae intestinorum mutationes plerumque per totam vitam durant. Saepissime auctis liene et hepate Ascites nascitur.

Frequentes sunt coli morbi chronici iique vehementibus doloribus colicis, diarrhoeis, saepius alvi dejectionibus cruentis (dysenteria chronica) perspicui.

Renes saepe diversos morbi Brightii et degenerationis amyloideae gradus praebent neque raro pigmento iteratis parvis haemorrhagiis referti sunt.

Glandulae lymphaticae, imprimis intestinorum interdum magnopere turgent.

Cana cerebri substantia non raro colore cacaotico vel cinerario ducta est; vasa capillaria saepe tam pigmenti granorum plena sunt, ut sanguis consistat et apoplexiae capillares oriantur.

Sanguis denique saepius pigmenti grana, glebas cellulasque continet.

Variis illis organorum vitiis, imprimis tractus digestionis, ut corporis vires affectae sint et sanguine careant aegroti. Gracilia membra cum carne flaccida discrepant a pingui ventre; facies labitur, tumida fit, colore cano et flavescente induitur; labia et membranae pituitariae pallent; oculi macie introrsus retracti sunt, vultus exanimus est; aegrotis omnes vires deficiunt.

Neque raro fit, ut singularum partium Paralyses, Tremores et Convulsiones observentur. Motus animi et cogitatio minuitur, aegroti tristes et maesti, saepe mente, fere capti evadunt. Interdum leves motus febriles accedunt; circa artus oedemata oriuntur et paullatim aquae intercutis morbo implicantur aegroti. Neque raro Scorbutus adest, rarius Tuberculosis. Interdum subito sopor, quo aegroti intra paucas horas pereunt, nascitur.

III. Therapia.

A. Prophylaxis.

Publicae valetudinis curae id praecipue agendum est, ut vires noxiae, quibus Malariae ortus adjuvatur, facillime tollantur. Nec minoris momenti est cautio, quam unusquisque adhibere debet. Est igitur providendum, ut loca palustria vitentur praesertim sub solis occasum et nocte, deinde ne in illis regionibus dormiatur neve aqua bibatur, tum curioso victu utendum est. Omnes excessus, cibi difficiles concoctioni, omnia quae nervos mentis et corporis frangunt fugienda sunt. Corpus spissis vestibus tegendum et contra perfrictionem coelique humores tuendum est, denique Chinae cortex et Chininum prophylactice et parvis portionibus adhibenda sunt.

B. Vulgaris febris intermittentis therapia.

Aegrotis usui et morbo perseverante vel necessarium est, ut ex illis regionibus, quos descripsimus, sese amoveant. Diebus, quibus febris redit, ut cibo sese abstineant lectoque teneantur; dum febris abest, ut curioso victu utantur aegroti et domi maneant necesse est.

Per febris accessionem haec observanda sunt. Ut primum febris frigorisque indicia apparent, aegroti ad lectum transgredi debent; si frigus gravissimum est, cutis calidis pannis laneis perfricanda est vasaque excalfactoria in lecto collocanda sunt;

si gravis vomitio erumpit, pulvere aërophoro ea vel paucis tincturae opii guttis sistenda est; si aegroti collabuntur, Analeptica danda, cutis perfricanda et sinapisma applicanda sunt.

Febris calore incipiente refrigeratio necessaria et aqua frigida parvis portionibus abunde aegrotis danda; in vehemente sanguinis ad cerebrum congestione cataplasmata frigida ad caput facienda et si opus fuerit, localis sanguinis missio reddenda est. Ut venaesectionem facias, necessitate solum premente tibi concedam, quum raro commodum ex ea capiatur, plerumque periculosus collapsus adducatur.

Sudore erumpente ut aegroti in lecto jaceant necesse est et tum demum stadio eo finito lintea mutari possunt.

Si paroxysmum febrilem evidenter expressum apyrexia subsequitur, ut diagnosis certa sit neque adsint quae morbum complicant, remedia adhibenda sunt, quibus nova febris tentatio impeditur. Remedia illa aut singulis parvis portionibus aut, id quod maximam vim habet, una magna portione ante novam ipsam febris accessionem danda sunt. Quae quidem etiamsi deest, tamen parvae portiones continuo usque ad id tempus, quo secunda febris teutatio venit, aegrotis offerendae sunt.

Remedia illa efficacia sunt Chininum, Chinidinum, Cinchoninum, quibus, ut febrem abigas, plerumque quindecim aut viginti granorum, perseverante quidem morbo drachmae et majore dosi uti debes.

C. Febrium intermittentium perniciosarum therapia.

In febribus intermittentibus perniciosis plurimum interest prohibere ne secunda febris accessio fiat. Quae quum ita sint, ne tum primum Chininum adhibendum esse putes quum completa intermissio nata sit, sed morbo vel paullulum decrescente quam celerrima magnis Chinini portionibus, scrupulo aut drachmae dimidio uti et si aegroti medicamenta glutire non possunt, ea per clysterem immittere necesse est.

D. Febrium intermittentium larvatarum therapia.

Summo cum eventu Chinino uti licet.

E. Febrium remittentium therapia.

Ut leviores febres remittentes sanentur, curioso victu, Acidis et pro re nata si membrana pituitaria gastro-intestinalis morbo correpta sit, vomitoriis et medicamentis laxantibus utendum est. Si remissiones et exacerbationes perspicuae sunt aeque a frigore incipiunt, Chininum adhibere potes. Complicationum separatim rationem habere debes, quum Chinini usui non cedant. Si febres remittentes graviores sunt, mature et dum aegroti convalescant continuo magnae Chinini portiones dandae sunt.

F. Cachexiae therapia.

Causas perpetuas amoveri, corpus ab omnibus viribus noxiis protegi, constitutionem confirmari, remedia necessaria ad tempus aut magnis aut parvis continen-

tibus portionibus adhibere necesse est. Deinde singulorum organorum vitiorum et mutationum te rationem habere maxime interest; denique per longum tempus medicamentis resorbentibus utendum est.

De febri intermittente quartana phosphori ope sananda.

Febris intermittens quartana pertinacissimum febrium intermittentium genus est et saepe multos per annos omnibus fere adhibitis remediis resistit. Duobus remediis eam sanari, Arsenico et Phosphoro, experimentis cognitum est. Arsenicum autem remedium est grave et periculosum, ut eo numquam usurus sim, praesertim quum Phosphori ope illud febris genus certo sanari possit.

Phosphorum saepe in patris mei praxi secundo cum proventu adhibitum esse mihi persuassimum est; aegroti enim ad eum venerant, qui quum per duo annos perpetuo fere febre intermittente quartano ursi magnisque lienis tumoribus affecti multas curationes, ab aliis medicis praescriptas, frustra adhibuissent, brevi tempore phosphoro sanati sunt. Hoc est praescriptum.

R.

Phosphor. gr. iij.
solve in
Olei terebinth. rectific. drchm. VI.
c. rad. Alcann. rubefact. adde
Ol. Caryophyll. gtt. XX.

Mds. Viemal täglich 10 Tropfen zu nehmen.

Infantibus, ut est eorum aetas, quinque ad octo guttae quater quotidie dantur.

Aegrotos quam summam curam in vitae ratione adhibere, levibus firmisque cibis et dulci vine rubro frui necesse est. Febri non redeunte, aegroti tamen diebus septimo, quarto decimo, vicecimo primo, vicesimo octavo ex eo die quo febris postremo intravit paucas guttas sumere debent, ne febris redeat.

Semper fere aegroti tertia tantum illius praescripti parte usi sunt, ut febris finiatur neque patri meo, qui per triginta novem annos medicinam exercuit, remedium illud contra febrem non efficax fuisse notum est. Iam peritissimus ille medicus, C. W. Hufeland, eo usus et si omnia contra febrem remedia non valeant, phosphorum efficacissimum esse expertus est. Et clarus ille Krueger-Hansen, qui Güstroviis per quiquaginta annos medicinam exercuit, remedio illo optimo cum eventu contra febrem intermittentem quartanam usus est.

Non nescio quanta sint pericula quantaeque Commutationes, quae ex nimio phosphori usu concitantur et procreantur. Non ignoro phosohorum exercere vim corrosivam in ventriculum tractumque intestinalem et icterum et degenerationem adducere hepatis adiposam. Scio equidem renes nimio phosphoro infiltrationem inire adiposam, aeque ac musculos cordis et spontaneos corporis musculos, scio renum epi-

telia labefactari pulmonumque hepatisationes et infarcta haemorrhagiosa moveri. Nihilominus phosphori usu tam modico tamque circumscripto ratione nunquam symptomata animadversa sunt veneficium phosphoricum significantia. Nunquam nec nausea nec vomitus, nunquam dolor ardens in regione epigastrica in pharynge et secundum oesophagum, nunquam inflatio regionis mesogastricae observata sunt. Nec sitis huiusce morbi constantissimum symptoma, nec icterus subsecutus est. Haemorrhagiae alias in hominibus veneficio phosphorico laborantibus celeriter exortae, exsecrationes aut profusiones sanguinis mictus cruentus non comparuere. Porro quae systema nervorum attinent, animi demissiones aut exagitationes nimiae, somnus incertus aut interruptus, denique vertigo, insomnia, cephalalgia, deliria levia, somnolentia non animadversa sunt, Nervorum sensibilium functiones nunquam disturbatae sunt, nemo enim eorum, qui phosphorum sumserant, dolores in regione sacrali aut lumbali aut secundum spinam dorsalem aut in extremitatibus sensit, nunquam fitillationem cutis membrorumque imprimis digitorum torporem. Nec motoriorum nervorum anomalia unquam se praebuit observanti. Nam neque infirmitates neque convulsiones neque paralyses musculorum apparuerunt; posthac sensuum affectus, uti aureum fluctuationes fremitusve, oculorum infirmitates et praestigiae exorta non sunt.

Quare quum phosphorus siquidem modice et cum ratione adhibeatur periculum non afferat remedium hoc efficacissimum oblivioni eripere velim, quum medicos eo magis magisque in dies uti optandum videatur.

Theses defendendae.

1) Venesectio in pneumonia crouposa certis quibusdam conditionibus adhibenda est.

2) Meningitis cerebro-spinalis, ubicunque apparuit epidemiam se praebuit.

3) Lithotomiae optimus in pueris modus est sectio alta.